

terrarum prætereuntes aquas aut ferventes ex vicinia red-  
dant, aut certè ex longinquitate tepediores. Hoc ipsum Lu-  
cretius innuit, dum inquit:

*Principio tellus habet in se corpora prima  
Unde mare immensum, volventes flumina fontes  
Assiduè renouent: habet ignes, unde oriantur.  
Nam multis subcensâ locus ardent sola terra,  
Ex imis vero furit ignibus impetus Ætne.*

Planius adhuc in Astronomicis Manilius id ipsum de-  
clarat, dum hoc modo rem illam determinare satagit:

*Sunt autem cunctis permisti partibus ignes  
Qui gravidas habitant fabricant fulmina nubes  
Et penetrant terras, Ætnâq; minantur Olympo,  
Et calidas reddunt ipsis in fontibus aquas.*

Perspicuum actualis ignis ac incurrentium simul  
aquarum exemplum inter Puteolos & Neapolim in Campo  
Vulcani, qui Sulphuraria dicitur, haberi Baccius lib. 1. de ther.  
cap. 18. autumat: quippe salebrosâ undique collium coro-  
nide & in se totus, intus & extra assiduo fervore crepitans  
lacunas viuarum aquarum continet, quæ instar bullientis  
Caldarii perpetuo fervent.

Ignis hujus actualis materia non uno modo declara-  
tur ab omnibus, dum alii bitumini, quidam sulphuri, qui-  
dam cineribus & pruinis in terræ cavernis latitantibus &  
calorem thermarum foventibus eundem adscribunt. Qui  
bitumini potius *bitumen*, quam alia materia combustibilis arri-  
det, potissimum hoc fundamento suam assertionem con-  
firmare nituntur, quod facilimè præ reliquis flammam  
concipiat, utpote cum ignium vis adeo magna bitumini  
conueniat, ut corpus aliquod eo maximè, quod naphtha  
vocatur, perunctum, si ad ignem admoveris, exuratur nec  
aquâ nisi multâ restinguatur, teste Georg. Agricola lib. 2. de fos-  
silib.

*Quanam sit  
ignis actualis  
materia,  
ex sententia  
aliorum.  
Opinio eo-  
rum qui bi-  
tumen sta-  
tuunt ma-  
teriam ignis  
actualis in  
terra visco-  
ribus.*